

Vg  
6428





F. K. 62.

23

V  
g  
6428

MEMORIAM  
MELANCHTHONIANAM

ORATIONE

D. XXX APRIL. C<sup>15</sup> I<sup>5</sup> CC LX

DE

SINGULARIBVS PHILIPPI MELANCHTHONIS MERITIS IN REM  
SCHOLASTICAM GORLICENSEM

PUBLICE IN GYMNASIO HABITA

RENOVATAM

AMPLISSIMO SENATVI  
SACRAM ESSE CVPIT

SIMVLQVE

LVSTRATIONEM VERNAM GYMNASII

D. XIII MART. INSTITVENDAM

INDICIT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS,

AVGVSTI GYMN. GORL. RECTOR

GORLICII, C<sup>15</sup> I<sup>5</sup> CC LXI, D. XII MART.

Ex OFFICINA FICKELSCHERIANA.



V I R I  
AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMI que  
PATRONI PIE COLENDI.

Perlubenter, iussu et auctoritate VESTRA, Melanchthonis memoriam, d. xxx Apr. anni proxime elapsi, quo ante ducentos annos obiit, oratione solenni renouauit. Quod pietatis officium Manibus Melanchthonianis tanto magis debebatur, quanto insigniora sunt merita, quibus Philippus, ut omnes propemodum Germaniae scholas, ita uel in primis Gorlicensem, ornauit. Ut sciat ergo, si qua futura est, posteritas, quantum fuerit VESTRVM, Patroni, Melanchthonianae memoriae pie in uiolateque tuendae studium, quanta in Gymnasio ornando diligentia, oratiunculam hanc, sub Vestris auspiciis, foras dandam putaui, prolixissimae Vestrae in scholam nostram eiusque emendatorem, uel potius conditorem, Melanchthonem, uoluntatis testem. Rogo VOS, quanta maxima possum obseruantia, maioremque in modum, ut hanc Vestram beniuolentiam nobis seruetis perpetuam, Gymnasiique rationibus in posterum benignissime prospiciatis.

Cuius quidem prouidae curae, pro salute nostra excubantis, ne scio, an luculentius possitis edere documentum, quam si lustrationem Gymnasi, d. xiii Mart. in prima Classe instituendam, per honorifica VESTRA praesentia cohonestare haud dignati fueritis. Id, quod VOS obseruantissime enixeque rogito. Dab. Gorlicii, cccLXI, d. xii Mart.



## A. O. O. H.



*S*i qua unquam temporum, rerum publicarum, religio-  
nis denique ipsius optimarumque artium conuersio  
tradi litterarum monumentis, et ad omnem posteri-  
tatis memoriam commemorari meretur, eas profecto  
status publici Germanici, sacri, ciuilis, litterarumque uicissitudines,  
quibus saeculum decimum sextum ab eius ortu per quinquaginta  
amplius annorum decursum insigniebatur, tam notabiles effecit rerum  
diuinarum cultiorisque doctrinae reparatio, ut inde ab eo tempore  
uniuersus orbis de integro quasi conditus esse uideatur. Cum enim  
ante hoc tempus barbaries, informe illud horrendumque monstrum,  
ui dominatusque suo, ita oppressisset omnia, ut pro sapientia super-  
sticio, pro mansuetioris humanitatis cultu morum ferocitas indomi-  
taque licentia, pro liberaliori doctrina foeditissima ignorantia regna-  
ret ubique, ubique sacra profanaque pollueret omnia; diuino ita  
erat prouisum consilio, ut, hoc demum saeculo, ad reparandam  
rempublicam Christianam instaurandasque meliores artes ex omni  
aeternitate diuinitus destinato, ueritatis lux, spiffissimis incitiae  
superstitutionis tenebris discussis, laetijs prorumperet, splendore-  
que suo, latissime disseminato, omnem Europam collusfraret.

Eloquentia, quae, tot foeditissimis dedecorata corruptelis, diu  
iacuerat inculta neglectaque, nouo cultu mirifice exsplendescet,  
exquisitior utriusque linguae cognitio, in exsilio per tot saecula acta,  
decori dignitatique suae restituebatur, historia, antiquitatum studium,  
poësis, omnesque, quas humanioris litteraturae ambitus continet,  
artes et disciplinae, felicissimis auctae incrementis, fines suos longe  
lateque proferebant, scholae et academiae condebat, conditae  
aliae, deterfo pristino situ et squalore, emendabantur.

Ad quam quidem temporum litterarumque felicissimam reparationem, ex consilio diuino perficiendam, cum prouidentia diuina eruditissimorum virorum ministerio adiumentisque uteretur, tot diuinitus excitati viri, omni scientiarum genere perpoliti, summique liberalioris doctrinae vindices ad extirpandas superstitionis barbariaeque corruptelas, uelut agmine facto, concurrebant, medicas manus inueteratis reipublicae Christianae et litterariae morbis sanandis adhibituri. In quibus quamquam non facile quisquam est eruditorum saeculi decimi sexti, qui non ob eruditionis ubertatem et copiam nominis immortalitatem gloriampque consecutus sit perennitatem, omnibus tamen palmarum dubiam facit PHILIPPVS MELANCHTHON, cuius uel solum nomen elogium est. Hic, quem eruditissimus quisque eruditorum oraculum appellat, quem praeceptorem omnis Germaniae ipsi exteri habendum salutandumque esse recte existimat, hic, inquam, tanti tamque diuini ingenii, tantae, tamque exquisitae doctrinae, tantorumque meritorum philologus, philosophus, theologusque religioni litterisque quantum attulerit incrementi, si dicendo percensere uellem, uerendum mihi esset omnino, ne rerum proponendarum obrueret multitudine.

Quod quidem quamuis eiusmodi sit, ut me a proposito merita uirtutesque Melanchthonianas enarrandi deterrere uideri possit, pie-tatis tamen legibus gratique animi religione et sensu me hodierno die exstimum sentio, ad memoriam tanti tamque felicis optimarum artium religionisque instauratoris, in illustri Vestro confesiu, Auditores, in hoc bonarum mentium sapientiaeque sacrario renouandam.

Incit, si Calendarii noui rationes ineamus, in diem Aprilis trigesimugri mors Philippi Melanchthonis, qui ante hos ducentos annos gloriofissimo uitam exitu conclusit. Huius diei, ad omnem posteritatis memoriam commemorandi, omnibusque religionis uerae litterarumque cultoribus grata mente recolendi, huius, inquam, diei solennia pio festoque ritu celebrare, tanto magis nostrarum partium esse existimo, quanto plura et insigniora sunt merita, quibus Melanchthon scholam nostram nascentem, inde a primis incunabulis, ornauit, auxit, illustrauit. Ita autem dicendi rationem nunc instruam, ut quam potest fieri breuissime ostendam, neminem eruditorum, post hominum memoriam, de re scholaistica melius promeritum esse, quam Philippum Melanchthonem, omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, peritissimum, felicissimumque scholarum conditorem, patronum, vindicem, et amplificatorem.

Ad quod uero cum uoluntatis, quam virium facultatisque, plus me adferre videam, benignius interpretabimini, si, quod possum, non quod uolo ac debo, in enarrandis meritis Melanchthonianis prae-sitato.

stero. Vesta certa humanitas, Auditores, tot iam speslatā docū-  
mentis, sperare me, imo confidere iubet, fore, ut perbenignas mihi  
praebeatis aures, id quod maiores in modum a uobis peto.

Cogitanti mihi, quae potissimum dotes uirtutesque in eo requi-  
rantur, qui de re scholastica bene mereri uelit, uel docendo, uel di-  
sciplinae finibus regundis, uel uniuersa reipublica scholasticae *cinovo-  
mīa* ordinanda, morbisque eiusdem sanandis, cum alia plura ad ani-  
mum occurunt, tum uero tria haec inesse oportere existimo, exquisi-  
tam doctrinam et bonarum artium uarietatem copiamque, pruden-  
tiam, ueramque in Deum pietatem. Nisi enim is, qui rei scholasticae  
rationibus consulere cupit, omnes eruditionis, quae ad munia scho-  
lastica obeunda requiritur, partes habuerit perspectas, quid ab eo  
consultore, aut, si maius, emendatore utilitatis expectabit res scho-  
lastica? Qui fieri poterit, ut, quid recte fiat, quidue minus in schola  
perite iudicet? Qui fieri poterit, ut, quae ineunda sit uel docendi  
uel discendi ratio, magistris iuuenibusque demonstret? Num putab-  
imus, cum rei militaris rationibus consulere posse, qui nunquam arma  
traictauit, nunquam castra uidit?

Latissime autem patet eruditio scholastica, neque tam arctis  
exiguisque concludi debet finibus, ut unius disciplinae cultura exer-  
citionibusque terminetur. Humanitatis elegantioris disciplinas  
nisi quis pertractatas haberit, nisi linguae latinae, graecae, aut etiam  
hebraeae, cognitione solida quis imbutus fuerit, nisi historiae, poë-  
seos, antiquitatum et eloquentiae amoenitates ita animo intelligentia-  
que complexus fuerit, ut philologi nomine laudeque dignus censeri  
queat, num ictum putabimus de re scholastica perite iudicare posse,  
num merebitur de scholis scholasticae eruditio ignarissimus?

Quae quidem omnia si mecum contempnor, Melanchthonem, in-  
uenio, ad bene merendum de re scholastica aptiorem fuisse neminem.  
Eum enim si demonstrauero, Auditores, philologum fuisse sine ex-  
emplo maximum, et inde ab orbe condito, dicam, quod res est, eru-  
ditissimum, unus quisque uestrum, opinor, intelliget, aut neminem  
aut Melanchthonem solum rei scholasticae eiusque incrementis con-  
sulere potuisse. Cum enim, inde usque a prima infantia, admirabi-  
lem memoriae ingenique uim ostenderet, quae per artem et exerci-  
tionem ad prodigium usque et miraculum in ipso progressa uide-  
batur, cum singularem exquisitamque, ubi aetas paullum adoleuerat,  
iudicii limatissimi acrimoniam luculentis proderet indiciis, cum deni-  
que incredibilem in interiores scientiae recessus penetrandi cupidita-  
tem diuinis animi dotibus adiungeret, dubitari non poterat, Melanch-  
thonem ad summa aliquando peruenturum. Ex hoc largissimo inge-  
nii iudiciique fonte illa redundabat scientiarum ubertas, illa eruditio-  
nis

nis uarietas et copia, quae, tot parta uigiliis, tamque amplis aucta accessionibus et locupletata, ad tantam prouecta erat magnitudinem, ut neque ante illum doctior quisquam fuerit, neque post illum, si recte iudico, quisquam sit futurus. Admodum adolescentulus, paene potius puer et infans, optimarum artium scriptores, quos Graecia, benignissima quandam ingeniorum altrix, et Roma tulit, inexhausta legendi discendique cupiditate inflammatus, peruolutabat, conquisitosque & lexitatos libros ita in sanguinem, ut aiunt, succumque conuertere didicerat, ut optima quaque scienter in futuros suos reponeret usus, ueterum opibus suae eruditio[n]is opes omniumque retro saeculorum fortunis fortunas suas amplificaturus.

Hac scriptorum, ex omni antiquitate accitorum, diurna nocturnaque lectio[n]e id consequebatur, ut, abditas utriusque linguae diuitias studioſissime uenatus, non insitas modo, et, ut ita dicam, innatas uel Romani, uel Graeci, sermonis uirtutes penitus planeque perspicerer, uerum quoque ad ueterum, Ciceronis maxime, Caesaris, Nepotis, Terentiique scripta, tanquam ad castitatis elegantiaeque latinæ obrusam, omnium, qui modo cunque ipsi obueniebant, scriptorum orationem exigendam arbitratus, de iis, quibus cuiusque linguae nitore et pulchritudo continetur, perscience iudicaret. Laudi ducitur, et pulchrum habetur, pure castaque lingua uti latina, scribendoque ea, quae acute cogitamus, terse, apte, ornateque explicare. At Melanchthon, quantus cultioris latinitatis uindex et magister, tantus inquinatae dictio[n]is osor, non modo, quicquid calamo mandabat et litteris, eo proferebat sermonis nitore, ut, cum se totum ad ueterum probatissimorumque scriptorum imitationem compoſuisset, uim ubertatemque Ciceronis, si orationes conficienda esent, elegantiam Nepotis, proprietatem et facilitatem Caesaris, Taciti grauitatem, Veneres Terentii, Virgilii denique excelsitatem, Ouidii dulcedinem, si uersibus luderet et ingenio, felicissime effingeret, sed etiam, quoties ore et sermone sensa animi exprimenda erant, tam suauiter, elegantissimo dicendi genere usus, in audientium animos auresque influebat, ut, nisi incredibili quadam perfusus uoluptate, nisi Melanchthonianæ eloquentiae admiratione impletus, ab ipso discederet nemo.

Testantur id scripta Melanchthonis, tanto elaborata ingenio, tanta confecta industria, ut Itali iis, ob latinitatem tersam castigatamque, incredibiliter delectentur, mirentur acumen eius Galli, suspiciant Battui, et, ut quisque Germanorum est humanitatis studioſissimus, ita amplissimis eloquentiam eius elegantissimam, scriptis proditam pulcherrimis, ferat ad coelum laudibus et extollat.

Si



Si uel solam Grammaticam reliquisset posteritati Melanchthon,  
neque scripsisset praeterea quicquam aliud, uel hoc uno libro,  
omnium nationum suffragiis mirifice comprobato, tanto certius im-  
mortalitatem nominis esset consecutus, quanto uberiora sunt fue-  
runtque semper commoda, quae in scholas, cum ueterum, tum no-  
stra aetate, ex hoc libro, uel lecto diligenter, uel accurate explicato,  
redundarunt. Testatur id ingens eorum copia, qui ad Philippum,  
quoties uel Latinos, uel Graecos enarraret scriptores, Tubingae  
Vitembergaeque audiendum, tanta tamque inuisitata frequentia con-  
fluebant, ut, Camerario teste, saepius bis mille et quingenti numera-  
rentur auditores. Ex hoc fonte Melanchthoniano omnes, quot  
quot tum temporis continebat Germania, scholae suos irrigabant  
riulos, nec illa fuit sere Europae regio, quo non mitterentur ex  
schola Melanchthoniana uelut eruditorum coloniae, quorum disci-  
plina gentes, ante id tempus bonarum artium rudes, expolirentur,  
quorum industria, doctrina, consiliisque uel scholae constituerentur,  
uel emendarentur constitutae, uel emendatae denique in flore con-  
seruarentur. Quae quidem opportunitas, nisi a Philippicis, (ita  
enim tum temporis honorifice vocabantur discipuli Melanchthonis)  
exspectari sperarie non poterat. Hi enim soli, latinae graecae-  
que linguae, et ceterarum, quae ad eruditionis scholasticae circum-  
pertinent, disciplinarum erant peritissimi, hi soli libellos Melanch-  
thonianos, in iuuentutis scholasticae usum confectos, recte accura-  
teque interpretari nouerant, hi soli, methodo Melanchthonianae  
adsueti, uiam utriusque linguae discenda expeditissimam, sine sale-  
bris, sine scopolis monstrabant.

Quae quidem merita Melanchthoniana in omnis Europae, Ger-  
maniae maxime, scholas, nisi tam magna esse quis fateatur, ut ma-  
iora esse non possint, nae eum aut, quae illorum temporum fuerit  
inscitia miseriaque, fugit, aut, quanto in beneficio urbium rerum-  
que publicarum habenda sit scholae bene constitutae conseruatio,  
prorsus uidetur ignorare. Hoc Germaniae beneficium, nisi a Me-  
lanchthonie scholaque Melanchthoniana, tum temporis sperari non  
poterat, cum nemo, nisi Melanchthon, nemo, nisi Melanchthonis  
discipuli, eo quidem saeculo, ob linguae latinae et graecae humanio-  
rumque litterarum exquisitissimam cognitionem scholae uel condon-  
dae, uel regundae, uel conseruandae augendaeque esset peritior,  
unusque adeo omnium Philippus ad optime merendum de scholis  
esset aptissimus.

Alterum, quod, praeter linguae utriusque elegantiorisque  
humanitatis scientiam, ad bene merendum de scholis requiritur,  
quaque



quoque carere non potest is, qui uel constituendis moderandisque rei scholasticae rationibus praeesse cum laude fructuque cupit, uel medicas adferre vult manus uitiosis scholarum partibus sanandis, alterum, inquam, illud adiumentum recte existimatur sobria, sanaque rationis fulturis nixa, philosophia. Quemadmodum illud deum corpus sanum, uegetumque, et uere pulchrum iudicari debet, quod, succi calorisque natui plenum, partes integras, easdemque mirabilibus et ad stabilitatem aptis commissuris coagmentatas habet, in quo item, ut Taciti uerbis urar, temperatus et bonus sanguis implet membra, in quo ipsos neruos tegit robur et decor commendat, illud autem umbra potius corporis, quam corpus dici meretur, quod, succo omni omnibusque uiribus exhaustis, corruptum, nulla uestimentum carne, nullisque uenis neruisque corroboratur, ita, nisi rerum diuinarum humanarumque scientia, aut, uno nomine, philosophia succum quasi uitalem et sanguinem per omnes eloquentiae partes linguarumque cognitionem diffuderit, dubitari non potest, quin iners eiusmodi et odiofa loquacitas eloquentiae speciem mentiatur tantum, ipsaque doctrinae humanioris copia ad eruditionem umbraticam debeat referri.

Melanchthon, quantum iis, quae ad humanitatem pertinent, litteris, quantum euoluendis ueterum iuxta ac recentiorum historiorum monumentis tribuebat operaे aut temporis, tantum in sobria et a scholasticorum fordibus repurgata philosophia, inuestigandisque naturae uiribus rerumque caussis studiū collocabat. Omnes philosophandi rationes expeditas habebat et pertractatas, nihilque erat tam obscurum, tam circumfusum tenebris, tam ab ipsa natura inuolutum, quod non peruaderet acie mentis et pertentaret. Miratur mirabiturque, dum suum litteris ac philosophiae statuet primum, uniuersus, qua est cultior, orbis eximiam eius raramque perspicuitatem, qua complicatas animi notiones distinctius euoluere, et enucleata difficillimarum quaestionum exploratione ea quoque, quae a sagaciissimi cuiusque intelligentia et sensu seiuncta uidebantur, ita enodare poterat, ut in conspectum uelut producere coramque demonstrare uideretur. Miratur mirabiturque, dum litterae erunt, eruditissimus quisque dialeictices Melanchthonianae paecepta, non ex scholasticorum lacunis lutulentis, sed ex ipsis Aristotelis fontibus hausta. Miramur, et nobiscum mirabitur posteritas eclecticam philosophandi rationem, qua Philippus, exploso philosophantium uulgo, quod amori odioue, uel erga ueteres, uel erga recentiores omnia, ueritati parum aut omnino nihil tribuit, suo quamque rem momento ponderabat, rationesque acri et magno iudicio ab origine, caussisque

que primis repetebat, expendebat. Quod cum scripta Philippica, pari cura ingenioque confecta, tam luculenter testentur, ut ea uel acutissimi nostrae aetatis philosophi, cum ob purum terulumque dicens genū, tum ob rerum momenta, aptissimum lucidumque ordinem, lubentissime legant, dubitari non potest, Philippum, quantus fuerit philologus, tantum fuisse philosophum. His recte cogitandi beneque dicendi praesidiis cum esset cumulatissime instructus Melanchthon, quis seniora consilia ad iuuentutem scholasticam recte utiliterque instruendam, scholasque in re publicae usum conformatas adferre poterat? Norant id mirabanturque Norimbergenses, qui, cum de schola constituenda inirent consilia, neminem, nisi Melanchthonem, auxilium opemque sibi in re tanti momenti adferre posse arbitrabantur. Publice scribitur a Senatu urbis Noricae ad Philippum. Inuitatur ad deliberationem de ludo litterario apud se aperiendo, uenit Melanchthon, operam auxiliumque allatus. Spen- glerus, qui tum a Senatus consiliis erat, consilia cum Philippo init, rogitque eum, ut peritos aliquos bonarum artium et litterarum uiros Senatui commendet. Commendauit, nec commendauit modo, sed adduxit quoque Eobanum Heslum, Camerarium, alias. Res feliciter successit, ac floruere ex eo tempore scholae Norimbergenses, bonarumque artium ibi constituta Seminaria, quae satus, ortus, incrementaque ferunt Melanchthoni in acceptis.

Si de Melanchthoniana rerum diuinarum intelligentia, si de accurata Scripturam Sacram interpretandi ratione, si de locis, quos scripsit, Theologicis, quos Lutherus tanti aestumauit, ut eos Canone Ecclesiastico dignos existimauerit, iisdemque, secundum Scripturam Sacram, meliorem existere librum negauerit, si de admirabili prudentia eius, quam tot in congressibus cum Regibus Principibusque, tot in Comitiis, in tot temporum difficultatibus periculisque demonstrarat, quaeque tanta erat, ut nonnunquam uideretur degenerare in timiditatem, si de pietate, amore erga alios, litterarum praesertim studiosos, si de modestia, morum integritate, pietate, si de incredibili uulnera ecclesiae sanandi, scholarumque omnino omnium morbos extirpandi studio et ardore, si de ceteris uirtutibus ornamentisque, quibus hic tantus, tamque post hominum memoriam admirabilis, totius Germaniae praeceptor enituit, si de his omnibus pauca tantum delibare uellem, in inmensum excresceret oratio mea, nec tempus uoxque tam innumerabilibus Melanchthonis uirtutibus enarrandis sufficeret.

Id unum, non possum, quin fatear, me, uenerabundo tanti Viri cultu commotum, manes Melanchthonianos cineresque toties exosculari, quoties hanc scholam intro, atque in hoc Musarum templo, felicissimoque litterarum bonarumque mentium sacrario, quotidianas



Ms. 6720 Fk

muneris, mihi impositi, exercitationes obeo. In incunabulorum primi-  
que ortus scholae nostrae memoriam si redeo, omnia, ex consilio in-  
stitutisque Melanchthonianis, disposita fuisse et conformata, inuenio.  
Primi, qui huc ad instituendam iuuentutem mittebantur, ex schola Melan-  
chthoniana progressi, Philippicam docendi rationem introduce-  
bant, et nonnisi Melanchthonianis libris explicatis, eam uniuersae  
scholae ordinanda regundaque rationem inibant, ut omnia ad in-  
stitutionis Melanchthonianae, in Academia Vitembergenſi celebratae,  
leges normamque attemperarent. In quibus numero Trocendorfium,  
at quantum uirum! qui disciplina et eruditione Melanchthonis lima-  
tus, ad inferiores Classes scholae huius regundas accessit, at Graece  
tam doctus erat, ut ipsis superiorum Claffium Magistris et Rectoribus  
Plutarhum, ceterosque scriptores Graecos, uia et ratione Melanch-  
thoniana progressus, interpretaretur. Ludouici, florentissimus felici-  
cissimusque Gymnasii huius quondam Rector, nihil, nisi Melanchthonianum,  
in scholam hanc admitti uoluit. Epistolam ad Romanos, ut  
hoc utar, per quadraginta, amplius, annos, in Academia Vitembergenſi  
ita litterarum studiis explicauerat Philippus, ut ex Graecae linguae  
recessibus, et Philologiae Grammaticesque adiumentis plurimum lucis  
affunderet epistolaē Paullinae, quam singulis quatuor annis ad finem  
perduxerat. Quam eandem ingressus uiam Ludouici, quarto quoque  
anno, Epistolam ad Romanos alumnis Gymnasii explicauit, nec a  
Melanchthoniana interpretandi ratione, ne latum quidem unguem,  
discedendum existimauit.

Tot ergo, et tanta incrementa, quae, breuitati seruiturus, silentio  
praetermitto, cum debeat schola nostra Philippo et Philippicis, nonne,  
pietatis lege commonefacti, omni ope id agendum nobis putabimus,  
ut Manes Melanchthonianos, hoc praesertim emortuali die, omnibus,  
quibus possumus, honorum ornamenti prosequamur, monumentum-  
que, aere perennius, tanto uiro, tamque felici scholae nostrae condi-  
tori emendantique, exstruamus. Viues ergo in animis nostris, Phi-  
lippe, Tuisque laudibus auditoria nostra tamdiu personabunt, quam-  
diu haec schola, quae, ducentos fere annos, Tuis consiliis adiuta, felici-  
cissime stetit, litterarum, religionis, ueraeque sapientiae institutis,  
praeceptisque laetabitur, et ut laetetur ad finem usque saeculorum  
omnium, ita cum optimo quoque opto, ut magis ardenterisque non  
possim.

Quod reliquum est, rogamus DEVVM immortalem, ut, rebus nostris semper  
florentibus, feruer PATREM PATRIAE fospitem, et inter tot accepites rerum  
temporumque conuersiones, tranquillum et incolu[m]em, ut Patriac tandem medea-  
tur uulneribus, ut SENATVI AMPLISSIMO, discussis turbarum nubibus, serenam  
reddat lucem, fortunaque secundioris perpetuatatem, ut scholae nostrae incre-  
mentis consulat, restituatque ciuib[us] nostris, totique Europa[ ], tranquil-  
litatem et pacem, quam poscimus omnes.

\* \* \*

BU Vg 6423  
15.33

ULB Halle

008 320 578

3





V  
6428

F. K. 62.

23

ISIV

MEMORIAM  
MELANCHTHONIANAM

ORATIONE

D. XXX APRIL. c15 15 cc LX

DE

SINGULARIBVS PHILIPPI MELANCHTHONIS MERITIS IN REM  
SCHOLASTICAM GORLICENSEM

PUBLICE IN GYMNASIO HABITA

RENOVATAM

AMPLISSIMO SENATVI  
SACRAM ESSE CVPIT

SIMVLQVE

LVSTRATIONEM VERNAM GYMNASII

D. XIII MART. INSTITVENDAM

INDICIT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS,  
AVGVSTI GYMN. GORL. RECTOR

GORLICII, c15 15 cc LXI, d. XII MART.

Ex Officina FICKELSCHERERIANA,

